BIBLIA LATINA

Klosterneuburg, um 1310/1315

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445

Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

in viam et desertam faciem eius contra ma
re orientale et extremum eius ad ma
re novissimum et ascendet fetor eius
et ascendet putredo eius quia superbe egit.
Noli timere terra. sed exulta et letare quoniam
magnificavit dominus ut faceret.
Noli timere animalia regionis. quia
germinaverunt speciosa deserti quia lig
num attulit fructum suum. ficus et vinea
dederunt virtutem suam. Et filii syon
exultate et letamini in domino deo
vestro quia dedit vobis doctorem iu
sticie et descendere faciet ad vos ymbrem
matutinum et serotinum sicut in principio.
Et implebuntur aree frumento et redun
dabunt torcularia vino et oleo et red
dam vobis annos quos comedit
locusta. bruchus et rubigo et eruca. Forti
tudo mea magna quam misi in vos.
Et comedetis vescentes et saturabimini
et laudabitis nomen domini dei vestri.
qui fecit vobiscum mirabilia et non
confundetur populus meus in sempiternum.
Et scietis quia in medio israhel ego sum.
Et ego dominus deus vester et non est am
plius et non confundetur populus meus
in eternum. Et erit post hec. effundam spi
ritum meum super omnem carnem et pro
phetabunt filii vestri et filie vestre. Senes
vestri somnia somniabunt et iuvenes
vestri visiones videbunt. Sed et super ser
vos meos et ancillas in diebus illis ef
fundam spiritum meum et dabo prodigia in
celo et in terra. sanguinem et ignem et va
porem fumi. Sol convertetur in tenebras.
et luna in sanguinem ante quam veniat
dies domini magnus et horribilis.
Et erit. Omnis qui invocaverit nomen
domini salvus erit. Quia in monte
syon et in ierusalem erit salvacio. sicut dixit
dominus et in residuis quos dominus
vocaverit.

Quia ecce in diebus illis. Capitulum III.
et in tempore illo. cum convertero
captivitatem iuda et ierusalem.
congregabo omnes gentes. et deducam eas
in vallem Iosaphat et disceptabo ibi
cum eis super populo meo et hereditate
mea israhel. quos disperserunt in natio
nibus et terram meam diviserunt. et su
per populum meum miserunt sortem et
posuerunt puerum in prostibulo et puellam
pro vino vendiderunt ut biberent. Verum
quid michi et vobis tyrus et sydon et
omnis terminus palestinorum. Numquid
vos ultionem reddetis michi. et si
ulciscimini vos contra me. Cito ve
lociter reddam vicissitudinem vobis
super caput vestrum. Argentum enim meum
et aurum tulistis et desiderabilia mea et
pulcherrima intulistis delubra
vestra et filios iuda et filios ierusalem ven
didistis filiis grecorum ut longe faceretis
eos de finibus illis. Ecce ego suscitabo l. suis.
eos de loco in quo vendidistis eos et
convertam retributionem vestram in
caput vestrum et vendam filios vestros
in manibus filiorum iuda et venundabunt
eos sabeis genti longinque quia dominus
locutus est. Clamate hoc in gentibus
sanctificate bellum. suscitate robustos.
ascendant omnes viri bellatores. Con vel accedant
cidite aratra vestra in gladios et ligo
nes vestros in lanceas. Infirmus di
cat quia ego fortis sum. Erumpite
et venite omnes gentes de circuitu.
et congregamini. Ibi occumbere faciet do
minus robustos tuos. Consurgant
et ascendant gentes in vallem Io
saphat. quia ibi sedebo. ut iudicem
gentes omnes in circuitu. Mitti
te falces quia maturavit messis.
venite et descendite. quia plenum est
torcular. exuberant torcularia. quia